



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Francisca Rom. 9. Martii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

182. [o] S. FRANCISCA ROM.

9. Martii.

*Humiliavit semetipsum, factus obe-  
djens usq; ad mortem, mortem  
autem crucis. S. Paul. ad Philip. c. 20.*

**C**oelum non terram habitasse FRAN-  
CISCAM credo. Ita semper aut cælum  
cum Franciscâ, aut Francisca in cælo fuit.  
Ægræ Medicus D. Alexius astitit; Assisium  
pergens itineris comitem ipsum Franciscum  
habuit. Gabriel modò Inferos ei, modò  
Cælos monstravit. Tutelaris quoque cum  
Filio Evangelista nuper mortuo superveni-  
ens, Archangelum se esse prodidit: Nempe  
semper deinde asperstabilem habuit, invidi-  
am Soli etiam sereno facturum. Certè ad  
eius vultum recitare VIRGINIS officium  
( & recitabat à primis annis quotidie ) eti-  
am nocte poterat; ipse concutsâ solùm cæ-  
faticie ( fulmina prodire videbantur ) orci  
larvas fugabat, idem, cùm perperam aliquid  
gustum erat, erubescere visus, imò quando-  
que subducere se. Semel etiam Franciscæ,  
quod autem profanis sermonibus, licet in  
vita, præbuisset, pugnum impegit, quem  
quidem

quidem (audaces nos!) etiam cùm accersimus prætextata verba, non metuimus. jam sub ultimos vitæ dies hic Nobiliori Angelo locum cessit. Ipse Cæli REGINA sæpius aspectu suo Franciscam recreavit. Filiumque ad complexus & oscula propinavit. Hic ipse quoties decumbenti assedit, dictisque animum demulxit, vel mutus solatio futurus? quoties se cibum præbuit? quoties, ut in amantis oculis luderet, in omnes formas se mutavit, & nunc nasci iterum, agereque quæ puer egit, nunc pugnas veteres pugnare mortemque obire iterum, triumphare iterum visus est? Sed & agnū iterum induere, & lateris fonte illud Nectar fundere sitienti voluit, quod omnes olim biberemus, nisi mundi lacunas sitiremus.

*Ex vita.*

### M E D I T A T I O

#### *De Obedientia humili.*

I. S **F**rancisca vixit 40. annos cum suo conjuge sine ullo prorsus vel minimo dissidio, quia hoc unum volebat, quod conçux. Si quietiorem vitam velis, te præpositis tuis quasi Christo obedientem præstes, & careas ultrò propriis commodeis ac licitis voluptatibus, ut in omnibus, in quibus nullum erit peccatum, totum te ad superiorum nutum,

tum, arbitriumve fingas. Tua obedientia nunquam erit sine præmio.

2. Plerumque anxi & inquieto es animo: unde hoc? Ex eo sanè, quod vel nullo modo, vel certè coactâ & repugnante voluntate obtemperes iis, quorum DEUS te subjecit imperio. Si vis esse verus obediens, propriam exue voluntatem: Res planè difficultis! sed difficultas hæc à sanctis alacriter superatur. Quam felicem vitam duceres, si tua voluntas cum voluntate præpositorum omnino congrueret?

3. Alienum etiam à Mandatis judicium ne habeas. Non est inferiorum, superiorum judicare mandata, nisi clarè divinis legibus repugnare videantur. Sic Jesus subditus erat Mariæ & Iosepho, ut ad utriusque arbitrium, suum ipse judicium labens componeret. Jesum imitare: nam, quæ tibi præscribuntur, si tui judicii lance examinare consuecas, nec hilaris, nec facilis, nec digna mercede erit obedientia tua. Nescit judicare, quisquis perfidè didicit obedire. Greg.

## S. CODRATUS M.

10. Martii,

*Nolite solliciti esse animæ vestrae,  
quid manducetis, neque corpori,  
quid induamini. Christus. Luc. c. 12.*

Adeste